Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uerent reseruabant. Qui se non continuo perdidit ne periret? Et per perditionem fortasse percussus est. Qui se non ut uiueret continuo perdere uoluit unde uiueret, eligens uitam mendicantem quam celerem mortem. Cui dictum est: nauiga ne moriaris, et distulit. Cui dictum est: labora ne moriaris, et piger fuit. Leuia deus iubet ut in eternum uiuamus, et obedire negligimus. Non tibi deus dicit: perde quicquid habes ut uiuas exiguo tempore in labore sollicitus; sed da pauperi unde habes in eternum ut uiuas semper sine labore securus. Accusant nos amatores uite temporalis, quam nec cum uolunt nec quamdiu uolunt habent; et nos inuicem non accusamus tam pigri, tam tepidi ad capessendam uitam eternam, quam si uoluerimus habebimus, cum habuerimus non amittimus. Hanc autem mortem quam timemus, etiam si noluerimus habebimus. Si ergo dominus magna sua gratia et magna misericordia animas suscitat ne moriamur in eternum, bene intelligimus tres illos mortuos quos in corporibus suscitauit aliquid significare et figurare de resurrectionibus animarum que fiunt per fidem. Resuscitauit archysynagogi filiam adhuc in domo iacentem; resuscitauit iuuenem uidue filium extra portas ciuitatis elatum; resuscitauit Lazarum sepultum quatriduanum. Intueatur unusquisque animam suam: si peccat, moritur. Peccatum mors anime est. Sed aliquando in cogitatione peccatur.

Delectauit quod malum est, consensisti, peccasti. Consensio illa occidit te; sed intus est mors, quia cogitatum malum nondum processit in factum. Talem animam resuscitare se significans dominus resuscitauit illam puellam que nondum erat foras elata, sed in domo mortua iacebat, quasi peccatum latebat. Si autem non solum male delectationi consensisti, sed etiam ipsum malum fecisti, quasi mortuum tuum extra portam extulisti; iam foris es et mortuus elatus es. Tamen et ipsum dominus resuscitauit, et reddidit uidue matri sue. Si peccasti, peniteat te, et resuscitat te dominus, et reddet ecclesie matri tue. Tercius mortuus Lazarus est. Genus mortis immane mala consuetudo appellatur. Aliud est enim peccare, aliud est peccandi consuetudinem facere. Qui peccat et continuo corrigitur, cito reuiuiscit, quia nondum est implicatus consuetudine, non est sepultus. Qui autem peccare consueuit, sepultus est, et bene de illo dicitur: fetet. Incipit enim habere pessimam famam tamquam odorem deterrimum. Tales sunt omnes assueti sceleribus, perditi moribus. Dicis ei: noli facere. Quando te audit quem terra sic premit, et tabe corrumpitur, et mole consuetudinis pregrauatur? Nec ad ipsum tamen resuscitandum minor fuit uirtus Christi. Nouimus, uidimus, cottidie uidemus homines pessima consuetudine permutata uiuere melius quam uiuunt qui reprehendebant. Detestabaris hominem. Ecce ipsa soror Lazari, si tamen ipsa est que pedes domini unxit unguento et tersit capillis suis quos lauerat lacrimis, melius suscitata est quam frater eius. De magna male consuetudinis mole liberata est. Erat enim famosa peccatrix, et de illa dictum est: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Videmus multos, nouimus multos; nemo desperet, nemo